27
118

SPIRITUS PACIS
ORATIO
34-7-B-19-

Habita in Sacello Pontificio

CORAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.
PONT. OPT. MAX.

IPSO PENTECOSTES DIE

A COMITE CAROLO FRANCISCO DURINO

SEMINARII ROMANI CONVICTORE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, M.DCC.XIII.

Apud Cajetanum Zenobium Typographum, & Scalptorem
SS. DOMINI Noſtri, ante Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

CAROLUS FRANCISCUS DURINUS
FELICITATEM.

NIhil fuit quod dubitarem, BEATISSIME PATER, quin Orationem de Sancti SPIRITUS Adventu meam, coram Te habitam, Nomini etiam inſcriberem Tuo. Cui enim NOSTRAM CUM DEO

PA-

Digitized by Google

PACIFICATIONEM, (quo fuit illa argumento ſcripta) ſanctiori jure nuncupari oportebat, quam Tibi, qui, & Christi Vicariam in Terris Majeſtatem geris, atque ejuſdem Sancti Spiritus arcanis tam propè illapſibus frueris, ac beatiſſimo circumfunderis lumine. Mihi verò, ex hac mea, ad Te optimum Humani Generis Parentem nuncupatione, ob eam, quâ omnes indiſcriminatìm complecteris Humanitatem, ornatiſſimi Tui Patrocinii, fructum honeſtiſſimum acceſſurum Spondeo.

Digitized by Google

ORATIO.

Quod erat maximè optandum, Beatissime Pater, acerrimo Deum inter, hominemque certamini hodierna die finis imponitur. Quid enim Pacificator hic Spiritus ignearum in ſpeciem linguarum è Cœlo delabitur, *Act. 2. 3.* niſi ut initæ tandem à nobis præſtantiſſimæ cum Deo concordiæ diuturnitatem eloqui poſſit? Quamobrem, mirari non eſt, ſi hoc Spiritu Pacis accepto, primi illi Eccleſiæ Principes, hodiernâ luce in unum convenerint, ac orta pridem inter ipſos de Principatu diſſenſio, tandem reſederit; *Luc. 22 24.* quin mutatis in contraria ſtudiis, ubi factus eſt de Cœlo repente ſonus, *Act. 2. 2.* non bellicam, ſed pacificam in orbem terrarum expeditionem adornaverint, pacem è Cœlo miſſam ubique Gentium prædicaturi.

Bellum impium, ac diuturnum, refugit animus commemorare, Deum inter, hominemque agebatur. Miſſi primum, qui de pace agerent Prophetæ, Sanctiſſimi, atque integerrimi viri; ſed repudiatis, atque abjectis

jectis honeſtiſſimæ pacis conditionibus, omni legationis jure violato, interfecti, occiſique ſunt. Quod ſatis eſſe poterat ad ſupplicium, prolixiori beneficio, ac remedio fuit. Nobilior tandem à Patre Filii ſui Legatio ad homines decernitur; & quidem dicente: Filium meum verebuntur. Quo quidèm miſſo, allatàque per Angelos terris pace, recreari videbamur non nihil, ac ex diuturnis belli calamitatibus aliquando emergere. Sed ò brevem nimis, ac volucrem pacem! quam impietas omnium maxima conſecuta eſt, ipſius Filii Dei parricidium, ac mors. Pacem ille quidem ſecum attulerat; Quid enim venerat, niſi ut pacem daret, atque abundantius daret? Sed ſuo confirmaturus ſanguine, atque hæreditario teſtamenti jure legaturus venerat pacem; Itaque non ſatis valituram, niſi mors Teſtatoris intercederet.

Matth. 23. 37. *Math. 21. 37.* *Luc. 2. 14* *Ad Heb. 9. 16.*

Jàm verò tuum erat Spiritus Sanctiſſime, hoc teſtamentum pacis, quod ſanguine pridèm ſuo condidit Chriſtus, coactis in unum Apoſtolis hodierna luce evulgare; quod tuus eſt fructus pulcherrimus pax; pleniuſque nos Deo reconciliare, qui arctiſſimo amoris fœdere Deum ipſum copulas Deo.

Eccleſ. 45. 30. *Ad Gal. 5. 22.*

At,

Digitized by Google

At, quæ glorioſior, quam quæ cum Deo, quæ diuturnior, quam quæ per Deum pax ineatur? Si enim Pacifici Filii Dei vocabuntur, quid eſt pax noſtra cum Deo, niſi adoptio in Filios Dei? Quæ quidèm eò glorioſior eſt, quòd non ſterilis Pater in ſuæ remedium ſolitudinis, ſed unigenito ſuo ſatìs dives, nos adoptat in filios; nec illam ſuadet orbitatis dolor, ſed quædam exuberantis fæcunditatis gloria. Quid porrò præſtabilius, quàm à ratione numquam noſtra nos diſſidere? Quid præclariùs, quam, cum divina mente conſentientes, ex non errantis ſempiterni illius luminis lege vivere? Utrumque præſtat hæc pax: & tumultuoſam internorum motuum diſcordiam comprimit; hominem que ita componit, ut nec à divinis unquam voluntatibus diſcrepet, ſibique ex omni parte, caſtè, integrèque conſentiat. *Matth. 5. 9.*

Jàm verò quìd eſt, quod de hujus initæ cum Deo pacis diuturnitate dubitare poſſimus? Si enim arcum fæderis ſui in nubibus poſitum, ſignum eſſe voluit Deus, pacificationis cum homine ſempiternæ; quid ni pacificatrices has linguas, æternùm duraturæ, noſtræ itidèm cum Deo concordiæ jure *Gen. 9. 13.*

re

Digitized by Google

re indices gratulabimur? Præſertìm è Cœlo
Ad Epheſ. 4. 3 miſſas, ac per eum miſſas, qui eſt vinculum
pacis. Neque enim, quemadmodum dat
Joan. 14. 27. mundus, Spiritus Sanctus è Cœlo detulit pacem. Periculoſam ille plerumque, mobilem, non diuturnam, armorum defatigatione fractam, effuſi ſanguinis ſatietate turpem, fæderum iniquitate pœnitendam, occultis, iiſdemque ad nova comparanda bella ærumpentibus ſæpe Cauſis obtectam, non tàm pacem, quàm adumbratam æmentitæ pacis imaginem offert. At perennem, ſtabilem, plenam amoris, plenam concordiæ, bonorumque omnium complexione uberem, ſuique ſimillimam, Pacificator hic Spiritus è Cœlo devocat pacem: eam denique pacem, quæ fractis, atque eliſis veterum diſcordiarum cauſis, ſummam nobis omnibus allatura ſit cum diuturnitate gloriam.

Quò lætior Univerſæ Eccleſiæ, hic eſſe debet dies, quo die, diſcuſſo bellorum turbine, æſtibuſque compreſſis, terris oborta ſit, per Spiritum Sanctum, non ad breve tempus commodata, ſed æternùm duratura tranquillitas.